Q. B. F. F. Q. S.

PROBLEMA MEDICVM INAVGVRALE

SISTENS

INOCVLATIONEM VARIOLARVM IN VTRAMQVE PARTEM

DISPVTATAM

QVOD

INDVLTV GRATIOSISSIMAE

FACVLTATIS MEDICAE LIPSIENSIS

SVB PRAESIDIO

DOMINI

IOAN. FRIDERICI BAVERI

PHIL. ET MED. DOCT. FACVLT. MED. ASSESS.
ET ACAD. IMPER. LEOPOLDINO-CAROL. NAT.
CVRIOS. COLLEG.

PRO GRADV DOCTORIS

ANNO MDCCXXXVII. DIE XVIII IAN.

H. L. Q. C.

ERVDITORVM PLACIDAE DISQVISITIONI

SVBMITTIT

CASPAR KRISCH VRAT. SIL.
MEDIC. BACCALAVREVS.

LIPSIAE

LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII.

PROOEMIVM.

QVid mirum, vti omnes res ſuas habent viciſſitudines, ac quidquid ex SENECAE effato *Epiſtol. XCI.* longa ſeries, multis laboribus, multa Deum indulgentia ſtruxit, vnus dies ſpargit ac diſſipat, ita Medicamentis eadem fata manere, experientia teſtatur. Quot, quaeſo, reperies heroica remedia, quae millies exſpectationi aegrotorum et voluntati Medicorum ſatisfecerunt, eaque de cauſa magnam ſibi pepererunt exiſtimationem, temporis tamen, neſcio qua, fatali periodo, quae olim ſummis laudibus fuerunt commendata, nunc ceu peſtem reſpuant homines? Adeoque verum eſt, quod Poëta canit:

Tam firmum natura nihil produxit, vt eſſet
Semper idem, fortuna vices et tempora mutat.

Idem paſſa eſt inoculatio variolarum, quae ante quinque luſtra, et quod excurrit, per omnem Europam auide excepta fuit, iam vero hinc et illinc ſuos inuenit aduerſarios. Huius variolis medendi methodi, quae ſuos debet natales orientalibus gentibus, patrocinium inprimis ſuſceperunt in ſe IACOB. PYLARINVS et IMM. TIMONIVS vti videre eſt in

Tranſactionibus Anglicanis A.1714. n.339. et An. 1716. n. 347. Secuti ſunt eos Medicus Londinenſis, IACOBVS A CASTRO, Regiomontenſis, BORETIVS, aliique eruditi noſtratium. Verum enim vero, licet omnibus neruis haec medela a ſuis protectoribus ſuffulciatur, nihilo tamen minus ab aliis eruditorum impugnatur, qui peregrinam hanc curam ex foro Medico plane proſcribunt, ſicuti ab Anonymo factum eſt, in libro Gallico idiomate conſcripto, et ſub Nomine: *Preuves de decadence dans la pratique de Medicine, confirmée par de juſtes raiſons de doute contre l'inoculation.* Lutetiae Pariſiorum An. 1724 publici iuris facto. Hanc ergo controuerſiam, quae cum maxime agitetur, ſpeciminis loco in medium proferre, operae pretium futurum eſſe duxi. Ego vtriusque partis litigantis argumenta libero et vacuo animo penſitabo, atque in commune conſulam, quo Tibi L. B. integrum ſit, de tota re cognoſcere, ac iuſtam ferre ſententiam.

CAP. I.

DE INDOLE ET NATVRA VARIOLARVM.

§. I.

Neceſſe eſt ante, quam inoculationem ad lapidem Lydium examinemus, vt naturam variolarum breuiter exponamus. Exactam autem huius morbi hiſtoriam tradere, tanto facilius ſuperſedeo, quanto fuſius ſagaciſſimus SYDENHAM in ſuis opuſculis, et omnes practicorum codices eam multis pertractarunt. Ergo variolarum nomine intelligo *morbum acutum, cutaneum, qui puſtularum efflorescentia ſtipatus infantili et puerili aetati praecipue familiaris eſt.*

Definitio variolarum.

§. II.

Eſt Morbus acutus.

Symptomata, quae hunc morbum comitantur, acutam ſuam indolem abunde demonſtrant. Febris, anxietates, dorſi et artuum dolores, vomitus, haemorrhagiae, et epilepti-

cae

cae acceſſiones malignitatis manifeſtiſſima ſunt indicia, quo pacto morbus peſti adfinis merito dici queat. *Celeb.* BOERHAAVE ad claſſem febrium inflammatoriarum variolas refert, cui, cum omnes febres inflammatoriae acutae ſint, adſtipulari haud veremur.

§. III.

De contagioſa variolarum qualitate vix ac ne vix quidem dubitare fas eſt, etenim experientia edocemur, eas peſtis ad inſtar ſtragem edere, et progreſſus facere. Nolim tamen Tibi perſuadeas, me huic morbo abſolutam adſcribere contagioſam naturam, quippe graſſantibus variolis, eas non cuilibet contagioſas eſſe, ſatis ſuperque conſtat. Quoties enim non contingit, duos infantes in vno lectulo iacere, quorum alter variolis aegrotat, altero forti et incolumi permanente. Contagioſa ergo huius morbi natura eadem eſt, quae morbis epidemicis iure meritoque competit, quae vt BOERHAAVII *Prax. Med. P. V. p. 321.* verbis vtar, *certo tempore omnes incolas, ſi eiusdem ſunt temperiei, aequaliter adficit.* Sed de hoc plura ſuo loco, cum de cauſa variolarum ſermo erit. *Contagioſus.*

§. IV.

In qua corporis parte hic morbus hoſpitetur, nunc erit diſpiciendum. Plurimi conſentiunt, locum adfectum ſeu ſubiectum cutem eſſe ac cuticulam, adeo, vt in ſuperficie corporis, primo in facie ac manibus, poſtea dorſo et pectore, maculae adpareant, dum, materia a ſanguine ſeparata, in puſtulas attolluntur. Alii, qui variolas pro febris effectu habent, non ſaltem cutem, ſed totum corpus pro ſubiecto agnoſcunt, quod nonnumquam viſcera interna hiſce papulis contaminata inueniantur. Cum autem variolae non a ſanguinis dependeant dyſcraſia, ſed per cutis poros ad ſanguinem transferantur, quod alio loco probabimus, ſequitur, ad morbos cutaneos, neutiquam vero humorales, eas referendas eſſe. Etſi enim viſcera interna variolis conſpurcata deprehendantur, vel etiam foetus *Cuticularis.*

maternus iisdem contaminatus in lucem edatur, tamen ſtatuendum non eſt, praeter cutem, aliud ſubiectum morbi admittendum eſſe, cum omnia exanthemata in quocunque morbo, vel imprudenti medela, vel aegrorum incuria ex corporis ſuperficie in interiora retroagantur, morborum cutaneorum charactere nihilominus retento.

§. V.

Exanthematicus.

De exanthematibus, quibus ab aliis morbis ſeſe diſtinguunt variolae, in praecedenti §. aliqua dicta fuerunt, quibus nunc addere lubet, cum morbillis, qui adfectus conſobrini ſunt, eas non confundendas eſſe. Ambo enim hi adfectus, etſi macularum rubrarum charactere primitus ſeſe manifeſtent, in eo tamen differunt, quod morbillorum maculae magis ſint depreſſae, citius prorumpant, et breuiori tempore effloreſcant, nec in ſuppurationem abeant; variolis contra tardius prodeuntibus, diutius perdurantibus, et in puſtulas exſurgentibus, quae magis magisque augmentum capiunt, et foueas quandoque relinquunt. Ex eadem ratione ab exanthematibus febribus petechialibus familiaribus effloreſcentia variolarum diſtinguenda eſt. Maculae enim, quae huic febri eueniunt, numquam cutem puſtuloſam vel exulceratam reddunt, ſed ſaltem colore rubro, pulicorum morſuum ad inſtar, adparent.

§. VI.

Infantilis et puerilis.

Pueruli et iuuenes frequentius quam adulti variolis corripiuntur. Qui ergo in iuuentute hoc morbo laborarunt, ſpem concipere poſſunt, fore, vt per totam vitam ab vlteriori eius inuaſione viuant immunes. Omnes ergo obſeruationes, quae apud Auctores occurrunt, quod natu grandiores vel ſenes variolis obnoxii fuerint, magis ad caſus rariores, quam ad regulares et ordinarios referri debent. Si rationem deſideras, quod tenellis regulariter hic morbus fatalis ſit, ex inſtituto a me explicatam inuenies in ſequentibus, vbi de cauſa variolarum verba faciam.

§. VII.

§. VII.

Differunt variolae ratione indolis et malignitatis ſuae *Differentia.* intrinſecae. Interdum adeo benignae ſunt, et adeo blande homines adficiunt, vt nullam fere febris acceſſionem animaduertant, imo, quod mireris, ſaepe ſine vllo medicamentorum vſu priſtinam ſanitatem recuperent homines. Contra peioris conditionis ſunt, quae epidemice graſſantur. Hic non ſolum omnia ſymptomata, quae §. II. in ſcenam produximus, occurrunt, ſed morbus adeo ingentem ſtragem inter tenellos edit, vt pauciſſimi huius morbi ſaeuitiam ſuperare valeant. Merito ergo variolae vel in veras vel in nothas diuidimus. Nolo explicandis reliquis variolarum ſpeciebus, cum a practicis vel ratione puſtularum, earumque eruptionis, vel coloris, vel loci adfecti, vel ſuppurationis, etc. diſtinguuntur, immorari, quod ſupra laudatus SYDENHAM de omnibus ac ſingulis ſpeciebus prolixius egerit. Nos duplicem tantummodo variolarum differentiam hic recenſere voluimus, vt demonſtremus, veris ſeu epidemicis variolis inoculationem ſaltem conuenire.

§. VIII.

Cauſa proxima earum venenum eſt, ſeu materia impura, *Cauſa variolarum proxima.* quae illico poſt ſui receptionem ſanguinem inficit, a ſanguine vero ſeparata critico naturae motu ad commune corporis emunctorium ſeu ſuperficiem propellitur, et ſuam in puſtularum generatione maturitatem facit. Qui veneni titulum abhorrent, in eo minimum nobiſcum conuenient, acrimoniam ſumme actiuam et cauſticam ad cutem deferri, eamque exulceratam et puſtuloſam reddere.

§. IX.

Neceſſe eſt, vt huius ſanguini inhaerentis veneni na- *Qualitas huius veneni.* turam paulo adcuratius exponamus, quo adpareat, quomodo tot tantosque ſtupendos effectus edere queat. Sed fatendum, hoc adeo denſis inuolutum eſſe tenebris, vt a priori

vix

vix aliquid veri proferre valeamus. Specioſa eſt opinio ATHAN. KIRCHERI, LOEVENHOECK, CHRIST. LANGII aliorumque, qua prae ſe ferunt, vermiculos ſubtiliſſimos, qui non, niſi acutiſſimo microſcopio adiuuante, ſub ſenſum cadunt, variolarum eſſe propagatores, qui ex corpore prodeuntes, leuiſſima aeris agitatione in corpora irruant, iis tenaciter adhaereant, et in intimos poros ſe inſinuent. Hanc ſententiam probare videntur EPHEMERID. *Nat. Curioſ. D. I. A. I. p. 56. D. I. A. III. p. 49. D. I. A. VIII. p. 142. D. II. A. IV. p. 187.* et BORELLVS *C. II. Obſ. 72.* qui in puerorum variolis vermiculos ſe deprehendiſſe, teſtatur. Licet alii omni adtentione, adhibito inſimul acutiſſimo vitro optico, in veritatem huius opinionis inquiſiuerint, tantum tamen abfuit, vt haec animalcula oculis conſpicere potuerint, vt potius vel vitrorum imbecillitate, vel huius opinionis falſitate ſe eluſos fuiſſe, ingenue ſint profeſſi. Cum ergo varioloſi ſeminis natura ad oculos demonſtrari nequeat, merito a poſteriori explicari debet. Effectus docet, hoc miaſma noſtrae maſſae ſanguineae admodum nociuum et contrarium eſſe, dum poſt ſuſceptum contagium in oeconomia animali e veſtigio oritur inſignis mutatio; puerulus, qui antea garrulus erat, et toto pectore laetabatur, nunc adflictus contriſtatur, ſentit virium diminutionem, febriles acceſſiones innumeraque alia mala. Quae cum ita ſint, recte concludere videmur, ſemen varioloſum, quod corpus penetrat, ſicut in ſequentibus docebimus, eſſe venenum admodum ſubtile et agile, quod intima corporis penetralia ſimul tangit, vnde triſtitia et laſſitudo, et cuncta reliqua ſymptomata dependent. Denique foetor, quem adflicti ſpargunt, certiſſima ſuppeditat indicia, variolas ſumme eſſe volatiles. Ea vero volatilitas ex contagioſa ſua indole optime cognoſcitur, cum notum ſit, quod ſolo contactu hic morbus propagetur. Quodſi vero harum particularum menſuram et genuinam qualitatem deſideres, nullam reddere poſſumus rationem, quam

quod

quod earumdem intrinſeca virtus ♀ Θna per motum, fermentationi ſimilem, cauſticam adquirat naturam, vt ſubtilitati particularum ſpirituum volatilium, chymica encheireſi praeparatorum, qui ſua ſponte exhalant, licet in vitris benè munitis aſſeruentur, aequiparari queat.

§. X.

Vnde malignitas dependeat

Ordo requirit, vt cauſae huius materialis originem et modum, quo aegri adficiuntur, examinemus. In campum latiſſimum exſpatiaremur, ſi omnes, quas Medici in ſuis ſcriptis recenſent, penſitare vellemus cauſas. Nam alii, vti Arabes, menſtruo ſanguini, alii ſanguini recens natorum in fune vmbilici poſt reſectionem ſtagnanti, alii paruulorum victus generi, alii haereditariae diſpoſitioni, vel aſtrorum potentiae originem tribuunt. Cum vero omnes hae ſententiae ab eruditiſſimis viris neruoſe refutatae ſint, mitto eas. Qui ſtatuunt, materiam varioloſam in corpus transferri, veritatis tramitem optime ſequi, in eo vero decipi, crediderim, quod innocentiſſimis rebus, aëri eiusque mutationibus, aromatibus, intemperantiae, vel exercitationibus nimiis id tribuant. Licet nosmet ipſi affirmemus, aëris beneficio variolas epidemicam adquirere naturam, cum ipſa tempeſtatum diatheſi malignitas ex vno loco in alterum transferatur, tamen diſſimulare non poſſumus, aërem per ſe, ſine particularum malignarum acceſſu morbum hunc accelerare non poſſe. Quidquid aër ad morbi huius generationem contribuit, id agit ad inſtar vehiculi, videlicet particulas malignas recipiendo, easque ex vno loco in alterum transportando. Si quaeris, vnde primus variolas acceperit, reſpondeo cum Doctiſſimo BOERHAAVIO *Pr. Med. P. V. p. 300.* me ipſum hoc ignorare.

§. XI.

Ratio epidemii.

Miaſma hoc varioloſum, quod ad modum ſpirituum ſubtiliſſimorum chemicorum ex infectorum corporibus exhalat, in auram extollitur, ſicque in diſſitas transfertur regiones, vbi in corpora praediſpoſita irruit, ſuaque actiuitate morbum ſubflammat.

mat. Ergo pateſcit, hunc morbum in ipſo contactu ſuam habere eſſentiam, quod vocabuli contagii vis atque origo confirmat, a contactu ſuos habens natales. SENECA *de tranquillitate C. VII.* hocce affirmans, dicit: *Serpunt vitia, et in proximum quemque tranſiliunt, et contactu nocent,* cui LIVIVS *Lib. XXXIX. C. IX.* ſequentem in modum adſtipulatur: *huius mali labes ex Etruria Romam, velut Contagione morbi, penetrauit.* Hic autem contactus non abſoluitur per meatus patentes grandiores, quales ſunt viae reſpirationis et deglutitionis, ſed per poros cutis, corpus quaquauerſum cingentis. Cutis exiguis foraminibus peruia eſt, quae pori vocantur, per quae continuo noxii halitus exeunt, aeque ac ingrediuntur.

§. XII.

Cur variolae potiſſimum infantibus familiares.

Non quaeuis cutis ad recipiendum venenum varioloſum apta eſt, ſed ea, quae puerulis eſt familiaris. Ratio haec eſt, quod tenellorum corpora magis pateant, eorumque patentiores pori miaſmata, quae in aëre circumferuntur, facilius admittant, et ad modum ſpongiae abſorbeant. Praxis quotidiana teſtatur, contagioſos morbos ſucculentioribus et humidioribus magis inſidiari, quam ſiccioribus. Caue, credas, hanc opinionem nudis ſpeculationibus niti. Experientia docet, quauis aetatis periodo cutem manifeſte mutari. Prima ſeu infantili aetate adeo laxa eſt textura cutis, vt vernacula lingua non incongrue *das Milchfleiſch* adpelletur. Iam quo quisque aetate prouectior, eo magis corporis eiusdem habitus externus patitur mutationem, ita, vt in iuuenili denſior fiat cutis, cuius fibrae in virili et ſenili aetate firmiſſimam accipiunt naturam, et quaſi tendinoſae euadunt. Inde vero pori magis atque magis anguſtiores et compactiores redduntur. Vulnera quoque, quae in ſenibus multo tardius coaleſcunt, quam in iuuenibus, documento ſunt, cutem a prima infantia ad mortem vsque mutari, ita vt aetate progrediente maiorem nanciſcatur denſitatem.

§. XIII.

Cum ergo adultorum cutis ad recipiendum miaſma varioloſum non ſit comparata, neminem eorum variolis laboraturum, nobis obiicies. Libentiſſime largior, quandoque adultos morbo corripi, quo infantes laborant, quod ſalua noſtra hypotheſi contingere poteſt. Nemo enim inficiabitur, fibrarum cuticularium texturam in adultis magnam ſaepe habere conuenientiam cum poroſa cute, quae infantibus eſſe ſolet. Ita mirum non eſt, quando paria cum infantibus fata experiantur natu grandiores. Denique ipſum venenum, alio tempore peſte volatilius, cauſa eſſe poteſt, quod denſitas fibrarum cutis particularum malignarum ingreſſum arcere nequeat, ita, vt adultorum variolae plerumque ſint lethiferae. *Vnde variolae adultorum.*

§. XIV.

Sed quaerat aliquis, cur multi ad ſenectutem vsque a variolis immunes maneant, nec omnes in iuuentute hoc ſoluant naturae debitum? Reſpondeo: quod omnes homines tam diu incolumes viuant, quam diu contagium, quam fieri poteſt, euitant. Hoc autem non euitamus, cum infantes a conſortio infectorum arcemus, ſed neceſſe eſt, vt locis, in quibus haec lues graſſatur, in tempore penitus emigrent. Virus enim contagioſum, quando plures aegrotant, maiori copia in auras abit, ſicque diſpoſita et praeparata corpora facili negotio inficit, in quo *Celeb.* HOFFMANNVS nos praeit inquiens, *non tantum miaſma ingreſſum inuenit in vicinos homines in eadem domo habitantes, verum etiam transportatum in loca remota, in diſpoſitis corporibus vim ſuam pernicioſam exſeruit.* Quibus interim a teneris annis ad mediam aetatem huius morbi exſortes eſſe licet, ſpem non vanam concipere poſſunt, fore, vt per totam vitam eo viuant immunes. *Cur alii per totam vitam a variolis ſint immunes.*

CAP. II.

DE INOCVLATIONE IN GENERE EIVSQVE ORIGINE.

§. I.

Inoculatio quid?

Praemiſſa variolarum analyſi, neceſſe eſt, vt remedium prophylacticum, quo exteri nonnulli Medici iis obuiam eunt, curatius perpendamus. Conſiſtit illud in operatione quadam Chirurgica, quam ob analogiam inoculationem ſeu inſitionem adpellant. *Eſt igitur inoculatio operatio quaedam Chirurgica, qua materia variolarum ex corpore varioloſo in aliud ſanum et bene valens transfertur, quo huius remedii Patroni futuro variolarum contagio anteuertere ſtudent.*

§. II.

Modus procedendi.

Lubet integrum negotium huius operationis, quod a IACOBO PYLARINO ad *Serhardum* transſcriptum in *Ephemerid.* N. C. exſtat, ad verbum hic recenſere. Primo, tempus ad celebrandam inſitionem opportunum ſeligendum eſt, quod ſecundum operatricem hibernum deſideratur, et non niſi tali tempore inſitionem inſtituebat: vernum ego pariter idoneum crediderim, propter clementiorem aëris temperiem. Secundo, ſelectiſſimum adhibet fermentum, pus ſcilicet inferendum non ex quolibet ſubiecto recipit, ſed variolis epidemice graſſantibus e puſtulis iam maturis, decumbentis alicuius pueruli, alias ἐυσάρκȣ, hisque benignis, punctione illud extrahit exprimitque, et in conchulam aliquam, vel vitreum vaſculum mundiſſimum, nec nimis actu frigidum reponit reconditque, quod vaſculum bene ſartum tectum in pediſſequae ſinum fouendum intrudit, mox ſine mora ad operationem properat. Pus ex inſititiis reiicit, vt inefficax, quod tamen ego benignioris indolis, nec minoris interim energiae fecerim, qua in re experientia conſulenda. Tertio, temperatiſſimum vult patientis inhabitandum cubiculum, quoad aëris modificationes. Quarto, ad operationem celebrandam

dam accederis mulier frontem in confinio capillorum, et quidem medio in loco, mentum et vtrasque genas acu ferrea vel aurea pungit, non recta, ſed oblique impingendo, cutemque acuta cuſpide a ſubiecta carne aliquantillum ſeparando, hinc eadem acu pus iam praeparatum in vulnuſculum inſtillat e vaſculo intruditque, ſuperinducta per faſciam ligatura, manus item ambas in metacarpis, pedes in metatarſis eodem modo ferit, pusque inſerit, faſciamque leniter ſtringit, ſerioſe imponendo patienti, ne partes illas ſcalpat madefaciatue. Potius carnoſiora pungerem loca, quatenus inflammationibus dolorique minus obnoxia, nec tendinibus intertexta. Quinto, bonum in ſex rebus nonnaturalibus regimen, praecipue in victu, iniungit, non ſolum enim vino et carnibus, verum etiam earundem iuſculo rigoroſe patientes ad quadrageſimum diem interdicit, pluribusque monitum non curantibus ſaepius male ſucceſſit, nam ad oculos poena erroris nouas erupiſſe puſtulas, aliaque non parui diſcriminis ſymptomata ſuperueniſſe viſum eſt. Sic rite peracta transplantatione non omnibus eodem temporis interuallo ſuſcitari ſolent ſymptomata, varie enim fermentum agit, ſerius vel citius, prout vnicuique proprium fauet temperamentum, aetas, robur. Quanquam variolae ipſae in ſeptimo fere ſemper adparere incipiant, qui dies vere criticus eſt, nec defuere, quod raro contingere ſolet, quibus ſtatim prima die effloruerint. Symptomata aegrotantibus euenientia variant ſecundum temperamentorum diuerſitatem, ſuccorum in maſſa ſanguinea habitudinem, et particularem in ſingulis diſpoſitionem, remiſſiora nempe vel intenſiora ingruunt, at communiter graſſantibus non diſſimilia, quamuis clementiori vt plurimum facie, plures vix alterationem laeſionemue ſentiunt aliquam. Excitatae variolae fere ſemper ſunt de genere diſtinctarum, nec numero multae, decem vt plurimum, viginti, triginta, raro ad centum, rariſſime ad ducentas erumpunt. Notandum primo, nonnullos vnico duntaxat vulnuſculo ad brachium inflicto contentos, excitaſſe variolas, paucisque adparentibus

tibus puſtulis, praeſeruatos tamen impoſterum fuiſſe a contagio. Notandum ſecundo, accidiſſe interdum, vt ex inſitione nullae penitus excitatae fuerint variolae, vel ob non praeexiſtentem vllam prorſus variolarum in corpore diſpoſitionem, vel ob eneruatum infractumque fermenti contagium; aſt poſtea graſſante populariter morbo, correpta ſunt promiſcue eiusmodi corpora, iam inſitionem paſſa, communi caeterorum ſorte. Tertio, inſertionis loca ſeu vulnuſcula in puſtulas ſemper euadere ſolent: quibusdam vero excreſcunt in purulenta tubercula, nullis interim adparentibus puſtulis. Nonnullis in apoſtemata maiora degenerant, magnam puris copiam effundentia: non ſemel eadem loca in pedibus praecipue manibusque ſummo cum dolore intumeſcunt, pureque effuſo ſubſidunt, iterumque in tumorem attolluntur, quibusdam, rariſſime tamen, ad glanduloſas partes et emunctoria poſt aliquod tempus abſceſſus emergunt ac ſuppurantur paulatim: ludente ſic in diuerſiformi corporum craſi natura. Poſtremo, nunquam fere ex transplantatione hac funeſti quid accidiſſe, obſeruatum fuit hactenus, etiamſi in quocunque ſexu, temperamento, aetate celebrata fuerit, quin imo, rite recteque tractata, et in corporibus per peritum Medicum apte praeparatis, certiſſimam promittit ſalutem. Variolae enim, hoc modo excitatae, benignioris ſunt indolis, quam ſint illae, quae populariter graſſantur, vtpote ex fermento, ſeu contagio omni malignitate carente, productae. Ebullitio, per quam maſſa ſanguinis agitatur, ac totum opus perficitur, blande, non violenter, moderante natura, conamina ſua molitur, ſed praeter haec, tempus ad operationem atque anni tempeſtas magis idonea pro transplantatione ad lubitum eligi, vt et corpus inſitioni ſubiiciendum congruis adminiculis ad recipiendam illam ex arte praeparari diſponique poterit.

§. III.

Ex mente Iacob. a Caſtro.

Parum differt a ſuperiori methodo, quam tradit IACOBVS A CASTRO, modo quod hinc et inde clariorem lucem accenderit.

derit. Suadet autem iſte, vt puer duodecim vel quatuordecim annos natus, qui variolis diſtinctis et benignis laborat, eligatur, et ab hoc materia varioloſa in vſum trahatur. Magis etiam proficuum cenſet, ſi pus deſumitur ab eius modi ſubiecto, cui variolae ex inoculatione natae, cum haecce materia mitioris ſit indolis, nec adeo graues turbas in oeconomia animali faciat. Contendit porro, vnico partibus muſculoſis inflicto vulneri inſtillatam guttulam vnam putredinis ſubficere, ad variolas producendas; peracta operatione vulnera dimidia parte operculi iuglandis tegenda, et faſciis conſtringenda eſſe, ne pus, antequam cum ſanguine commixtum eſt, abſtergatur.

§. IV.

Modus procedendi, quem tradit Wreden.

Lubet hic adponere, quibus WREDEN in Tr. *Vernünfftige Gedancken von der* Inoculation *der Blattern*, nonnullas cautiones, quarum neque PYLARINVS neque IACOB. A CASTRO mentionem fecerunt, in hoc negotio commendat. *Es muſs ein ſolcher, von welchen man die Blatter-Materie nimmt, die variolas diſcretas haben, und ſich übrigens bey den Blattern wohl befinden, einem ſolchem ſubiecto öffnet man einige Blattern, wenn ſie zu gehöriger Reiffe gelanget, welches ordinair den 10ten Tag nach der eruption geſchiehet, mit einer Lancette, man drückt die daraus flieſſende Materie in ein wenig Baumwolle, und ſteckt ſelbige in eine kleine Büchſe, welche man alsdenn wohl zugemacht nahe bey ſich am Leibe bis zum Gebrauch trägt, welcher Gebrauch auch bis einige Wochen nachhero erfolgen kan, und erfolgt allemahl der Effect der genommenen Materie, ſie mag kalt oder warm ſeyn; doch iſt gewiſs, daſs ie friſcher die Materie vor ſich iſt, deſto geſchickter ſie auch zur infection ſeyn muſs. Bey denen, welchen man die Blattern geben will, müſſen folgende in acht genommen werden: Man wehlet darzu friſche und geſunde ſubjecta, ſo viel man nemlich ſolches an denen äuſſerlichen Zeichen kennen kan, ſind es Kinder, ſo muſs man ſie nicht inoculiren, wenn man meinet, daſs die Zähne hervor-*

hervorbrechen können, aus Beyſorge der Zufälle, welche dadurch können erfolgen. Sind es erwachſene Frauens-Perſonen, ſo muſs man ſich nach ihren Menſibus richten, und allemahl die erſte Woche nach denſelben die Inoculation vornehmen. pag. 64. idem Auctor ita pergit: *Wenn alſo ſolche Perſonen zu der Inoculation geſchickt, ſo öffnet man ſelbigen durch eine longitudinal- oder transuerſal inciſion die Haut, nur ſo tieff, daſs es bluttet, an beyden Armen unter denen muſculis deltoidibus, wo man gewöhnlicher maſsen die fontanellen leget, in dieſe Inciſion leget man die in der Baumwolle enthaltene Materie, worüber man ein ſimples e. g. Froſchleich-Pflaſter leget, welches man mit einer kleinen Compreſſen und darüber gelegten Binde befeſtiget, dieſer Verband wird nach verfloſſenen 24. Stunden abgenommen, die Baumwolle nimmt man weg, und verbindet die Inciſion wie vorher, wormit man auch nachhero alle Tage von Anfang biſs zum Ausbruch der Blattern, nachhero aber, wenn die Blattern ausgebrochen, und den Patienten nicht zu incommodiren, und ohne Noth zu entblöſsen um den andern Tag, continuiret bis zum Ausgang der Kranckheit.*

§. V.

Deſcriptio inoculationis per de la Motraye.

Non incongruum erit, hiſtoriam inoculationis ex W. DE LA MORTRAYE *Itinerar. T. II. L. III. p. 98. ſeq.* qui ipſemet operationi huic interfuit, et quasuis circumſtantias adtento animo notauit, huc transferre: *Je trouvai les Circaſſiens plus beaux, a meſure que non nous avancions entre le montagne. Comme je ne voyois perſonne marqué de la petite verole, il me vint en penſee de leur demander, s'ils avoient quelque ſecret pour ſe garantir de ravage, que cette ennemie de la beauté faiſoit entre tant de Nations. Ils me dirent qu'oui et me firent entendre que c'etoit de l'inoculer, ou de la communiquer à ceux qu'on en vouloit preſerver, en prenant du pus de quelqu'une qui l'avoit, et de le mêlant avec leur ſang par des inciſions qu'on leur faiſoit. Je reſolus la deſſus d'en voir l'operation, s'il*

etoit

etoit poſſible, et je m'informois pour cela dans tous les Villages ou nous paſſions, s'il n'y avoit perſonne ſur qui on la fit. J'en eus bientot une occaſion dans un Village nommé Degliad, ou j'appris qu'on l'inoculoit a une jeune fille de quatre ou cinq ans, quand nous y paſſames. Elle avoit été purgée legerement auparavant, comme on me fit entendre. Je demandai qu'on me montrat avec quoi, par ce que mon Noghaïen n'auroit pu me l'expliquer, et on me fit voir des feuilles de Bugloſſe ſeches, qu'on faiſoit bouillir, me dit on, avec les racines et du miel. On la porta auprès d'un jeune garçon de trois ans, qui avoit cette maladie, et dont les grains ou puſtules commençoient a ſuppurer. Une vieille femme fit l'operation, car celles de ce ſexe qui ſont les plus avancées en age, ſont reputées l'etre auſſi en ſageſſe et en connoiſſance, et elles exercent la Medicine, comme les plus vieux de l'autre ſexe exercent la Pretriſe. Cette femme prit trois aiguilles liées enſemble, dont elle piqua premierement le creux de l'eſtomac de la jeune fille, ſecondement la mammelle gauche vis-a-vis le coeur; troiſiemement le nombril; quatriemement le dedans du poignet droit; cinquiemement la cheville du pied gauche, juſqu'a en faire ſortir le ſang, avec le quel elle mela du pus qu'elle tira des puſtules du malade. En ſuite elle appliqua ſur les parties piquées et ſaignantes des feuilles d'Angelique ſeches, liant par deſſus des peaux de jeunes agneaux nouveaux nés. Après quoi la mere l'en veloppa dans une des couvertures de peaux dont ſont compoſez, comme j'ai dit cidevant, les lits des Circaſſiens, et elle l'emporta ainſi enveloppée chez elle. On devoit, me dit-on, l'y tenir chaudement, ne la nourrir que d'une eſpece de bouillie faite de farine de Cumin, avec deux tiers d'eau et un tiers de lait de Brebis; ne lui donner a boire que de la tiſanne faite de Bugloſſe d'un peu de Regliſſe et d'Angelique, trois choſes fort communes dans le Païs.

§. VI.

Origo et Progreſſus inoculationis.

Quo tempore, et a quonam haec medendi methodus inuenta ſit,

ſit, haud certo conſtat. Omnes tamen vno ore dicunt, Aſiaticis gentibus, et imprimis Circaſſis et Georgianis ab antiquiſſimo tempore eam vſitatam fuiſſe. Tranſiiſſe autem poſtea dicitur in Graeciam, quae Theſſaliam aliasque regiones ad eamdem recipiendam excitauit. Non tamen apud gentes vicinas eamdem gratiam ſibi conciliare potuit, quin Turcae et alii Barbari in illam olim maxime declamarent, nec eam niſi multo tempore poſt amplecterentur. Ipſa Anglia magnorum ingeniorum ſedes et alma, ante viginti circiter annos quidem exteris modum inoculationis omni niſu commendauit, nunc tamen negare non poteſt, hoc curationis genus non eſſe recentius inuentum, ſed olim titulo emtionis variolarum notum, vide *Memoires literaires de la grande Bretagne T.XV.p.73.ſeq.* Vbicumque autem haec operatio recepta fuit, ſolum ab indocta plebe et mulieribus tractata eſt. Inde factum puto, quod aliarum gentium fauorem non tam facile obtinere potuerit. Sed ita fit: *Tempora mutantur et nos mutamur in tempus.* Inuenit hinc et illinc ſuos admiratores, poſtquam Britanni eam ab obliuione liberarunt, ſuaque commendatione dignam iudicarunt. Iuſſu et auctoritate Regia Chirurgus CAROLVS MAITLAND, qui ante hac Conſtantinopoli non ſolum crebro hunc curandi modum conſpexit, ſed et ibidem hac in re ſuas admouit manus, in ſex ad mortem damnatis inſitionem inſtituebat, vt adpareret, quae eius ſub coelo frigidiori phaenomena et effectus. His tentaminibus ex ſententia ſuccedentibus, hinc inde nouitatum amatores excitabantur, vt et in aliis regionibus inde auxilium optarent, quo factum, vt non ſolum in Saxonia inferiori ſed etiam Auſtria et aliis locis adoptaretur et propagaretur.

§. VII.

Vſus inoculationis.

Supra docuimus, cur inoculatio maiori excepta fuerit adplauſu, quam alia Medicamenta, quae in curandis variolis longa experientia ſalutaria ſe probarunt. In vnum contrahamus, quae commoda inoculatores de ea venditant. Ponunt, variolas in genere eſſe morbum, qui vix vlli, cuiuscumque vel aetatis vel ſexus

ſit,

ſit, parcat; porro variolas artefactas naturalibus eſſe benigniores, nec adeo diris ſymptomatibus obnoxias, nullas relinquere cicatrices, nec foeda vlcera, vel alia quaeuis incommoda, denique inoculatum ab omni variolarum repetitione certo praemunire, nec, qui variolas per inoculationem nactus eſt, etſi epidemice graſſentur, iisdem vlterius eſſe laboraturum, quemadmodum ſentiunt *Celeb.* WERLHOFIVS in Tr. elegantiſſimo de *Variolis et Anthracibus. Clariſſ.* VATER in Diſputat. de *Transplantat. Variolarum*, MAIDLAND, WREDEN, IVL. HORSTIVS, IACOBVS A CASTRO, GVALT. HARRIS, ANTON. LE DVC, BORRET. FISCHERVS, aliique.

CAP. III.

DE INOCVLATIONE EX PRINCIPIIS PATHOLOGICIS.

§. I.

Inoculationis methodus trutina Pathologiae penſitanda eſt.

Omnis medendi methodus Pathologiae fundamento ſtabilita eſſe debet, aliter vix inde ſalutaris euentus ſperari poteſt. Pathologia eſt filum Ariadnaeum, ſine cuius manuductione inextricabilem morborum labyrinthum nemo facile felix egredietur. Si ergo de inoculatione dicendum, quod res eſt, ante omnia inueſtigandum, quo haec methodus cum Pathologia cohaereat. Argumenta ergo, quae inoculationem vel defendunt, vel ſuſpectam reddunt, ex Pathologia depromta ſint, ſi calculum ferant, neceſſe eſt.

§. II.

Abuſus remediorum prophylacticorum taxatur.

Cum vero variolarum inoculatio prophylaxeos gratia commendetur, non poſſum non, quid de remediis prophylacticis ſentiam, in vniuerſum monere. Nemo inficiabitur, multos, qui vel fortuna vel opibus a plebe ſe diſtinguunt, in perenni et quotidiano prophylacticorum remediorum vſu ſplendorem et elegantiam, neſcio quam, quaerere. Quot, quaeſo, quouis vere thermas petunt, non vt dubiae ſanitati ſuccurrant, ſed vt genio

temporis indulgeant, et ex aliorum conſortio voluptatem capiant, ſicque iter non neceſſitatis, ſed animi recreandi cauſa haud aegre ſuſcipiunt. Similes mihi videntur iis, qui acutiſſimo viſu praediti citra neceſſitatem vitris opticis vtuntur. De hac animi infirmitate SENECA L. III. *de Ira* C. VIII. ita ſentit: *Sumuntur a conuerſantibus mores, et vt quaedam incontactos corporis vitia tranſiliunt, ita animus mala ſua proximis tradit.* In genere contra pathologica peccant principia, qui prophylaxeos gratia in adhibendis medicamentis iuſto ſunt liberaliores, et homines ſanos, qui bene valent, nec habent, cur iniquam valetudinem metuant, ad crebriorem eorum vſum obſtringant. Hoc *Celeb.* BOHNIVS *de Officio Medici C. IX. p. 195.* merito notat, cum ait: peccant grauius, qui non morbos exſpectant, ſed vt ab his, vt putant, ſe praemuniant, ſeu prophylaxeos vniuerſalis gratia, frequentius et tantum non quotidie vtuntur remediis, modo pro viribus conſeruandis et roborandis, modo humoribus vitioſis corrigendis ac educendis, ſanguine purificando ſingulis vernis ac autumnalibus periodis ſanguinem mittunt, iisdem aut interuallis tantum menſtruis vomitoria, euacuantia per aluum, diuretica, ſudorifera, frequentius vero ſalia volatilia ſimplicia, vel aromatiſata, corallia, margaritas, oleum cinamomi, ambram, moſchum et ſexcentum alia adſumunt. Recte ergo CORN. CELSVS *L. I. C. I.* bene valentem nullis legibus eſſe obſtringendum, cenſet.

§. III.

Variolarum inoculatio intempeſtiue adhibetur.

Sicuti vero in vniuerſum Medicamentorum prophylacticorum abuſus taxandus eſt, ita temere maxime agunt, contra hunc vel illum morbum, qui forſan accidere poteſt, remedia intempeſtiue adhibentes. Aiunt quidem inoculatores, plurimos homines variolarum ſaeuitiae eſſe expoſitos, et raro aliquem inueniri, qui numquam iisdem laborauerit: hoc remedium antidotum eſſe contra variolas, et omnes, qui eo vtuntur, ab iisdem eſſe immunes. Sed ponamus, perpaucos ab hocce morbo liberos eſſe, ponamus, inoculationem ex voto reſpondere; tamen nobis perſuade-

re non poſſumus, vt calculum noſtrum adiiciamus. Quis enim neſcit, neminem fere in ſenectute mori, qui febre intermittente numquam laborauerit? Quae vero ineptiae eſſent, ſanis et integra valetudine gaudentibus perpetuum remediorum antifebrilium vſum commendare?

§. IV.

Multo magis vituperandi ſunt Medici, qui loco Medicamentorum ſalubrium, ſanis inſalubria porrigunt. Quod ab inoculatoribus Medicamenti loco adhibetur, eſt putredo ſeu inutile quid, quod in morbo maligno videlicet variolis, finita inflammatione, corpore expellitur. Principiis ergo Pathologicis refragari videntur, qui loco Medicamentorum venenata, ſordida, vel nauſeoſa eligunt remedia. Per Pathologiam Medicus tenetur non ſolum *cito*, *tuto*, ſed etiam *iucunde* mederi, quod axioma non attendit, qui nauſeoſum et iniucundum, quod eſt putredo variolarum, loco remediorum acceptiſſimorum commendat. Hiſce obiectionibus credo aduerſarios eſſe reſponſuros: in viliſſimis quandoque latitare vim medicam maiorem, quam in Medicamentis magno encomio commendatis, quod ex Paullini, aliorumque Eruditorum ſcriptis luculenter adparet. Sed haec argumenta tanti non ſunt valoris, vt iis ſubſcribamus, libentiſſime concedentes, viliſſima non ſemper eſſe ſpernenda, eaque non raro maiorem mereri adplauſum, quam officinalia, et pompoſo charactere exornata; interim omnia, quae ex vmbra in ſolem educuntur, hanc prae inoculationis materia habent praerogatiuam, quod omnis malignitatis careant ſuſpicione, vt taceam, omnia remedia nauſeoſa et inſueta ab aliis Eruditorum eſſe penitus reiecta, vti videre eſt in Diſput. Celeb. Beat. RIVINI *de Medicamentis officinalibus*. Regerunt porro inoculatores, effectum exoptatum huius operationis, quo inoculati ab omni vlteriori variolarum tentatione liberantur, omnes ſuperare imputationes: communem obſeruationem teſtari, vix milleſimum ad mortem vſque ab omni variolarum in-

Illicitum eſt ſana corpora morbo inficere.

uaſione immunem manere,et quemcunque teneri, fatalem hunc morbum exſpectare. Verum enim vero, experientia, quam iſti pro ſe adlegant, demonſtrat, quod ſuo loco pluribus oſtendemus, effectum inoculationis non ſemper fuiſſe exoptatum, ſed potius exitioſum, nec milleſimum, ſed multo plures ſenio confici, qui nec vmquam variolis laborarunt. DIEMERBROCK ſeſe ipſum teſtem ſiſtit, qui ad ſeptuageſimum annum vſque a variolis ſartus tectusque conſeruatus eſt, licet mille variolis laborantibus auxiliatrices praebuerit manus. Et nos ipſi integras familias in ſcenam producere poſſemus, quibus eadem felicitas contigit.

§. V.

Peccant Medici contra Pathologiam, qui cauſam morborum non remouent, ſed potius adferunt.

Medicorum eſt officium,vt cauſam morborum omni ſtudio remoueant,quod,vt inoculatores faciant,tantum abeſt,vt potius eam adferant. Si verum eſt, neminem a natura venenum variolarum in ſanguine alere, ſed omnes, quotquot hoc morbo adfliguntur, contagio contaminari, quod C.I. demonſtrauimus, quilibet mecum adfirmabit, Medicos, qui cauſam variolas efficientem ad ſana transportant corpora, regulis pathologicis contradicere, et, id, quod oeconomiam animalem laedit, non tollentes, ſed potius adferentes, a recto tramite omni modo aberrare.

§. VI.

Indicantia ab inoculatoribus non adtenduntur.

Hoc pacto indicantia, ſeu norma, qua methodus medendi inſtitui debet, non adtenduntur. Regula eſt pathologica: *quae in corpore humano abundant, vel ſunt nociua, debent euacuari.* Iam in corpore, quod nulla contagioſa malignitate inquinatum eſt, nil inuenitur, quod debet euacuari. Contra principia ergo agunt, qui praeter omnem neceſſitatem euacuationes inſtituunt. Sed obiicies; Ergo omnes euacuationes, quae praecautionis loco ſiue per emeſin, ſiue alui euacuationem vel V. S. vernali et autumnali tempore celebrantur, vbi ſigna imminentis morbi adeo manifeſta non ſunt, eſſent improbanda, ſed reſpondeo: emetica et aluum purgantia, praeſcribenda non

ſunt,

ſunt, niſi indicantia, qualia ſunt cruditates primarum viarum, eorumdem expoſcunt vſum. Simile eſto iudicium de Venae ſectione, quae nunquam, niſi in ſtatu plethorico, inſtituenda eſt, vbi quantitas et copia ſanguinis eſt indicans.

§. VII.

Nec contrariis contrariis curant.

Alterum axioma pathologicum: *contraria contrariis curari debent*, innumeris exemplis ſtabilitum, ſuo haud niteretur fundamento, ſi variolarum inoculatio conformis eſſet principiis pathologicis. Quodſi enim ipſa materia varioloſa iisdem variolis mederi queat, nulli Medicorum vitio verti poterit, qui in nephritide calculos, in podagra materiam tartaream exulceratam, vermes contra dolores infantum a vermibus ortos, ſanguinem humanum aduerſus omnis generis haemorrhagias etc. commendat, quod fuſius explicauit *Dn. Praeſes* in Diſſertatione, ante tria luſtra hic Lipſiae habita, *de Medicamentis e corpore humano deſumtis merito negligendis.*

§. VIII.

Nec Naturae ſunt Miniſtri.

Tenetur porro Medicus omnes naturae motus et actiones magna circumſpectione et prudentia perpendere, eamque a recto deflectentem tramite ad ordinariam placide diſponere viam. Inoculatores, violentas naturae iniicientes manus, illamque ad aliquam inſtituendam actionem, quam ſua ſponte fortaſſis ſuſcepiſſet nunquam, omni vi cogentes, hoc non adtendunt, qua ex cauſa nullo modo titulum adiutorum, ſed potius turbatorum naturae merentur, etiamſi enim demonſtrent tota hac durante medela aegrotos vix aliquem ſentire morbum, vel febris minimam acceſſionem; nihilominus ab arbitrio inoculatoris, neutiquam vero naturae niſu totum dependere negotium, vnus quisque mecum perſpiciet.

§. IX.

Inoculationis Analyſis.

Poſteaquam harmoniam pathologiam inter et inoculationem variolarum contemplati ſumus, ad ipſius inoculationis Analyſin nos conuertimus. Noſtrum non eſt, omnia ac ſingula argumenta,

gumenta, quae alibi in eius gratiam proferuntur, prolixius examinare, cum Auctor in Libro ſupra adlegato, *Preuves de decadence dans la pratique de Medicine*, ea omnia iamiam excuſſerit. Lubet potiora, quae mancam ac dubiam reddunt hanc operationem, in compendio perſcrutari. Validum eſt argumentum contra inoculationem, quod ab ipſa deſumitur materia, quae ex vno ſubiecto varioloſo in alterum transportatur. Haec eſt putredo, materies cocta et maturata, quae a ſanguine ſeparata in puſtulis eiectis comparet. Quo clarior haec ſententia, eo ſollicitius nunc ipſa maturatio examinanda eſt. Idcirco erit hic *maturatio actio naturae, qua particulae ſanguinis maſſae inhaerentes inutiles intra certum temporis ſpatium immutantur et ad communia emunctoria in forma putredinis ablegantur*. Symptomata, quae hic occurrunt, omnibus febribus acutis ſunt communia. Calor febrilis et anxietates ſatis ſuperque indicant, quam moleſta ſit haec naturae actio, qua heterogeneis particulis ſeſe exonerare nititur. Finita tandem maturatione quaeuis ſymptomata euaneſcunt, et aeger priſtinae valetudini reſtituitur: Materiam ita maturatione generatam a ſanguine eſſe diuerſam, et potius liquori lacteo aequiparandam, quilibet mecum ſentiet. Deinceps, quod hortulanis ſurculus inſititius, id inoculatoribus haec maſſa per maturationem producta eſt, eumdemque ſibi promittunt effectum, quare ob hanc analogiam titulo inoculationis inſigniuerunt artem propagandi variolas. At enim vero, ſurculum inſititium et purulentam variolarum materiam toto coelo differre, quilibet adfirmabit. Surculus, qui arboribus implantatur, vigentis eſt naturae, materia vero varioloſa eſt maſſa iners, ſpiſſa et omni actiuitate orbata. Haec materia, quae antea in maturationis actu ſumme erat mobilis, ob inſitum ſuum ſpiritum et propriam elaſticitatem, finita maturatione effoeta et tamquam excrementitia, dehiſcente puſtularum cuticula, expellitur. Et ſicut in regno vegetabili ad arborem producendam nil confert, pomum terrae mandare, ſed ad quaeuis procreanda vegetabilia

requirun-

requiruntur ſemina, id quod in regno animali etiam locum inuenit, ita ad variolarum inſitionem non putredo, ſed ſanguis ad earumdem generationem idoneus adhiberi deberet, ſi eiusmodi analogia hic admittenda. Auctor iam adlegatus *de decremento Praxis Medicae p.393.* idem fere nobiscum ſentit, dicens: *il faudroit par conſequent prendre la maladie dans ſon germe pour en faire ſeurement l'inoculation. Ce ſeroit donc le ſang lui meme tel qu'il eſt dans cette maladie naiſſante, dont il faudroit faire l'inſertion ou la transfuſion, par ce que lui ſeul eſt impregné du germe de la maladie, au lieu que dès que ce germe aura, pour ainſi dire germé ou qu' il aura conſomé ſon pouvoir ſa vertu domptee ſera changée pour former un être ou une ſubſtance differente, qui ſera par conſequent autre choſe que ce germe.*

§. X.

Pus peſtilentiale ſanguin mixtum peſtem non producit.

Maius Tibi ſubnaſcetur dubium, ſi peſtis naturam cum variolarum eſſentia comparaueris. Peſtis exanthematum charactere ſeſe diſtinguit, ſuppurationes inſtituit, et pus maturatum critico naturae motu educit. Quod ſi ergo materia variolarum maturata ſanguini inſtillata variolas produceret, nemo amplius dubitaret, materiam peſtilentialem etiam maturatam, ſanguine mixtam, multo certius ob ſuam naturam magis contagioſam et actiuam peſtem generare poſſe, quod autem ab ipſa Experientia refutatur in *Diario Gallico Amſtelodamenſi M. Iun. A. 1722. p. 685.* exemplo adducto de cane, qui per tres menſes peſtilentiales glandulas ſuppuratas et exſtirpatas vna cum faſciis pure peſtilenti conſpurcatis ſine vllo ſubſequente damno deuorauit. His praeſuppoſitis veritati maxime eſt conſentaneum, materiam variolarum maturatam ſanguini inſtillatam nec vmquam variolas veras generare poſſe.

Ita pus variolarum ineptum eſt ad earumdem generationem.

§. XI.

Variolae arte excitatae ad claſſem ſpuriarum referri debent.

Iam vero in fidem Auctorum, qui tot exemplis felicem huius operationis ſucceſſum oſtenderunt, iniurius viderer, ſi omnimodam materiae implantatae operationem derogare vellem. Puſtulas quasdam poſt hanc operationem in corporis peripheria aſſurgere, imprimis, quando a variolis decumbente eo temporis momento materia vſurpatur, quo variolae albicante colore in conſpectum veniunt, nec operatio protrahitur, ſed quam citiſſime pus vulneri inflicto inſtillatur, facile concedo, cum materia variolarum in principio maturationis aliquam adhuc contineat actiuitatem, quae vero poſt aliquot dies cum tranſpiratione diſſipatur et infringitur, id quod partim differentia coloris materiae in puſtulis contentae, qui in principio albus, in fine vero maturationis flauus eſt, partim foetor, qui inchoante maturatione magis percipitur, ſatis demonſtrant. Hocce aſſertum ſupra nominatus DE LA MOTRAYE confirmare videtur, quando loc. cit. dicit: *on la (fille) porta au près d'un jeune garçon de trois ans, qui avoit cette maladie, et dont les grains ou puſtules commençoient a ſuppurer.* Ex qua relatione conſtat, Circaſſos mox in principio, neutiquam vero fine maturationis materiam variolarum ad hunc producendum affectum aptam idoneamque iudicare. Verum enim vero, licet totum opus ex ſententia ſuccedat, ac puſtulae in habitu corporis erumpant, non ſine ſufficienti ratione tamen haeſito, has arte ſuſcitatas papulas ad claſſem verarum variolarum referre, cum ipſi inoculationis patroni vno fateantur ore, materiam inſitione productam, haud eſſe pus craſſum, bene coctum, prout in vulgaribus variolis eſſe ſolet, ſed ſaniem potius tenuiorem et magis aquoſam, quae minus mordax eſt, nec cicatrices relinquit, quae omnia aperte demonſtrant, has puſtulas cum iis variolis, quas noſtrates ſpuriarum nomine inſigniunt, exacte conuenire. Etenim materia in puſtulis contenta magnam refert analogiam, ſymptomata etiam ſpuriis familiaria eadem

ſunt,

ſunt, imo ſpuriarum et arte factarum periodus irregularis, et obſeruatio, qua inoculatio veris variolis non anteuertit, mouent ſuſpicionem non leuem, variolas artefactas et ſpurias vnius eiusdemque generis eſſe et indolis.

§. XII.

Porro inoculationem valde ſuſpectam reddit diſſenſus patronorum huius operationis in determinanda quantitate materiae, quae ſanguini inſtillari debet. In vniuerſum alii cum PYLARINO, vnam, alii cum ANT. LE DVC octo, et rurſus alii cum DE LA MOTRAYE quinque inciſiones ſuadent. Haec vero diſcrepantia argumento eſt, illos genuinae doſeos haud indubitatam habere cognitionem. Nemo inficias ibit, omnia remedia heroica, qualia ſunt opiata, mercurialia, emetica, et quae ſunt eiusdem generis, definita ſua doſi, proportionata aetati et temperamentis, cuilibet aegroto adhibenda eſſe, quod etiam in transplantatione variolarum attendendum eſſe, crediderim. Quis enim ſibi perſuadere poterit, infantem duorum annorum tantam puris quantitatem ſufferre, quantam homo aetate prouectior?

Inoculatores putredinis, quae ſanguini immittenda eſt, ignorant genuinam quantitatem.

§. XIII.

Nec ſilentio transeundum eſt, quod in materia a variolis eligenda, maxima cura delectus inſtitui debeat. Materia enim, quae inſeruire debet inoculationi, ſecundum temperamentorum varietatem differt, cum alia ex melancholico, alia ex cholerico aegroto depromta, vnam eamdemque operationem edere nequeat. Eligendam eſſe materiam ex puero variolis diſtinctis et placidis ſymptomatibus decumbente, inoculatores ſuadent. Aſt qua fiducia ex ſignis externis ad internam humorum craſin et naturae indolem argumentabimur? Cuncti practici conſentiunt in eo, vultum et externum corporis vigorem indubium teſtimonium de qualitate aegrotantis interna dare non poſſe; quapropter fieri poteſt facillime, vt inoculatores, externis ſignis contenti, vna cum

Materiam varioloſam non ſatis ſecernunt.

iſta materia ex vno in alterum corpus transportent vitium, poſtea difficillime ſaepe corrigendum. Sic vitia generis neruoſi per interualla recurrentia, quorum ſpecies eſt epilepſia, apud iuniores ſaepe ita deliteſcunt, vt ſagaciſſimus Medicus ea externo corporis habitu hariolari nequeat.

§. XIV.

Nec diſcernunt, quibus inoculationis materia implantanda.

Eodem iure, quo illi, qui ex ſolo corporis habitu externo varioloſos diiudicant, taxantur, et caeteri reprehendendi ſunt, qui ſine diſcrimine omnes cuiuscumque aetatis et ſexus ad hanc ſuſtinendam operationem recipiunt. Notum eſt, ſubinde in humoribus quiddam maligni latere poſſe, quod Medicus ob defectum ſignorum diagnoſticorum certo praeſagire nequit. Hinc merito verendum, ne a commixtione puris varioloſi omnis ſanguinis dyſcraſia ſimul in motum rapiatur, et inde emergant ſymptomata maxime periculoſa. Quae mala vt auertas, ſuadent quidem inoculatores, vt corpora ante inſitionem medicamentis laxantibus et antiſcorbuticis praeparentur, et operatio in infantibus tempore dentitionis, in foemellis vero menſibus fluentibus, haud inſtituatur. Aſt quantum temporis ad eiusmodi exactam praeparationem et humorum genuinam correctionem requiratur, omnes noſcunt clinici, et mihi fingere nequeo, vnico laxante omnes, quotquot huic operationi ſubiecti ſunt, ſatis ſuperque praeparatos eſſe, quod tamen ex hiſtorica inoculationis relatione factum eſſe, conſtat. Ideo talem corporum praeparationem non veram eſſe, ſed ſpeciem ſolummodo prae ſe ferre, merito arbitramur: remedio enim hocce omnis humorum dyſcraſia vna vice corrigi non poteſt. De dentitione omnes mecum conſpirabunt Doctores, ſigna eius frequenter eſſe fallaciſſima, dum omnis fere infantum moleſtia dentium generationi tribuenda eſt. Cum ergo dentitionis tempus ad ſeptimum annum ſeſe frequenter extendat, concludere licet, intra hoc tempus, vel ante, quam integer dentium

tium numerus plane abſolutus eſt, inoculationem tuto inſtitui non poſſe.

§. XV.

Inoculationem crisis non c[omitatur] — *Inoculatione crifis non comitatur.*

Nec inoculatoribus adſtipulari poſſumus, qui, materia implantata, quam ſaepius nominauimus, omne ſemen variolarum in corpore latens ex intimis penetralibus critico naturae motu ad corporis ſuperficiem propellere, dicunt. Ad quamcunque criſin requiritur materiae peccantis debita digeſtio, qua humores puri ab impuris probe ſecernuntur, et rite praeparati per corporis emunctoria tandem excernuntur. Hanc actionem adeo praecipitanter, et ſine temporis mora natura non abſoluit, vt primo ſtatim die ab inoculatione criſis perfecta exſpectari queat, quod quidem *Celeb.* VATERVS in ſua Diſput. p. 15. affirmat, aſſerens: Variolas prima ſaepe die, facta inoculatione, progerminare. Symptomata enim ſufficienter demonſtrant, veram criſin inter et fictam hancce magnam eſſe differentiam. Vix enim inoculati aliqualem ſentiunt pulſus mutationem, et in genere adeo felices prae aliis eiusdem cenſus ſunt, vt ad claſſem aegrotorum eos referre merito dubites. Adſpiciamus contra aegrotos, in quibus natura criticam intendit operationem, quam moleſta et ſaepius periculoſa ſint ſymptomata, quae ipſam praecedunt criſin: Sunt eius prodromi ex *Celeb.* BOERHAAVII *Inſtit. Med. de ſignis morborum p. 219.* ſententia, ſtupor, ſomnolentia, vigiliae, delirium, anxietas, dyſpnoea, nox moleſta, rigor, dolor, rubor, titillatio, punctura, grauitas, denſitas in parte, tenebrae, ſplendor, lux, lacrymae ſpontaneae, nauſea, aeſtus, ſitis, retractio hypochondriorum, tremula agitatio labii inferioris, et ſimilia, quod HIPPOCRATES *S. II. Aph. 13.* affirmare videtur, inquiens: *quibus criſis fit, his nox ante exacerbationem grauis eſt.* Quapropter argumentamur, materiam vna vel altera facta laeſione ſuperficietenus ſaltem corpori adplicatam, totam maſſam ſanguineam intra tam breue temporis ſpatium neutiquam commouere veramque criſin efficere poſſe.

§. XVI.

[V]ariolae arte [fa]ctae natura[lib]us benignio[re]s non ſunt.

Aſſerunt porro inoculatores, variolas arte ſuſcitatas benigniores eſſe naturalibus, nec vmquam funeſtas. Probationis loco ipſam veneni variolarum epidemicarum qualitatem cum materia inoculationi dicata conferunt, hanc, dicunt blandiorem et mitiorem eſſe, cum contra venenum variolarum epidemicarum ob ſuam naturam ſumme actiuam et ſubtilem penitius intret, et maſſam ſanguineam vehementius commoueat. Licet ergo, quemadmodum et nos ipſi libenter concedimus, ad inſtituendam inoculationem materia iſta, quae ſummam adquiſiuit maturitatem, omnem plane amiſerit actiuitatem, ita, vt non inepte cum Chymicorum capite mortuo eam aequipares, inde tamen non ſequitur, variolas, facta inoculatione, omni malignitate carere. Ponamus, materiam a variolis ſumtam transplantari in hominem, qui, morbo epidemice graſſante, breui decubuiſſet, certe variolae, inoculationem ſecuturae, eamdem malignitatem monſtrabunt, nec aegrum blandioribus adficient ſymptomatibus. Vix enim poſſibile videtur, variolas arte factas, quae citra naturae ordinem et vi quaſi excitantur, naturalibus eſſe leuiores et benigniores, quaſi dicendum eſſet, vt cum *Anonymo dans la Preuve de decadance dans la partique de Medicine* §. 13. loquar, ova fornacis calore melius illis, quibus gallina incubat, excludi.

§. XVII.

[M]ateria in[o]culatione [t]ransplanta[t]a eſt nociua.

Cum inſtillatio putredinis ſit actio legibus naturae prorſus contraria, facile fieri poteſt, vt materia ob actiuitatem deperditam ad producendas veras variolas inepta, loco variolarum peiora mala, morbos vel abſceſſus nobiliorum aut glandulosarum partium gignat. Teſtantur obſeruationes, nonnullos, quibus haec maſſa putrida inoculata eſt, viſum amiſiſſe, alios cacöetha vlcera ibi, vbi inciſiones factae ſunt, reportaſſe, et plures cacheticum colorem, omnes vero pene dubiam ac nutantem

tem ſanitatem conſecutos eſſe: vid. *Memoires literaires de la grande Bretagne T. XI. p. 224. et 225.*

§. XVIII.

Nec poteſt negari, inoculationem produxiſſe variolas confluentes et malignas. Cum enim materia, in principio maturationis ex variolis expreſſa, aliqualem adhuc contineat vim ſpurias producendi variolas, quod ſupra §. VIII. oſtendimus, corpori, per ſe ad hunc morbum inclinanti, implantetur, nullum eſt dubium, quin loco variolarum ſpuriarum malignae excitentur, et morbus, qui, ſi naturae moliminibus fuiſſet commiſſus, tantam malignitatem haud contraxiſſet, eo contumacior periculoſiorque reddatur; id, quod GVILIELMVS WAGSTAFF, in litteris ad FREVNDIVM confirmat, qui variis exemplis variolas confluentes et funeſtas inoculationem ſecutas eſſe, demonſtrat. Inter alia iſte Celeb. Medicus mentionem iniicit alicuius robuſti et vegeti iuuenis, in quo poſt nonum ab inoculatione diem variolae confluentes comparuerunt, ita, vt aegrotus vndecimo morbi die ſumma reſpirandi difficultate vitam cum morte mutauerit. Vid. *Memoires literaires* l. c. Similis tragicus caſus et fatalis experimenti euentus in nouellis Leidenſibus n. 78. Anno 1734. Londino nunciabatur, hunc in modum: *Samedi dernier une de filles du General Diemar, Miniſter de la Cour de Heſſe Caſſel, mourut de la petite Verole dont on lui avoit fait l'inoculation quelques jours au parauant, de meme qu'a une de ſes fils, qui en eſt auſſi fort mal.*

Variolas malignas producit.

§. XIX.

Si ergo artefactae variolae a ſpuriis non differant, quod §. VIII. monſtrauimus, quid mirum, quod inoculati de omni vlteriori contagio ſe immunes gloriari nequeant. Ponamus,

Inoculatio non praeſeruat a variolarum vlteriori acceſſione.

per

per plures annos inoculatum a variolis liberum manſiſſe, inde tamen non ſequitur, per totum vitae curſum ab omni vlteriori inuaſione intactum eum manſurum. Obſeruationes confirmant, homines prouectiori aetate ſubinde experiri variolarum ſaeuitiam, quos in iuuentute ne minima iſtius morbi vis inceſſit. Ipſi Angli negare non audent, veris variolis ſuccubuiſſe, qui antea ex voto inoculationem ſuſtulerunt. Relatum legimus in *Actis Med. Berolinenſ. VI. Dec. II.* vocatum fuiſſe A. 1723. Londini Medicum nomine EDLETON ad aegrotum, cui ante annum variolas arte procurauerat, iam veris variolis adeo laborantem, vt ob morbi huius vehementiam ex mortis faucibus illum eripere non potuerit.

§. XX.

Apud Britannos per edicta publica interdicta eſt.

Quae cum ita ſint, deſine mirari, quod apud Britannos per edicta publica vſus inoculationis interdictus fuerit, et ſacerdotes in templis ſuos auditores ab hoc remedio ſint dehortati. Nec rimare, cur noſtrates eruditi, qui hanc Medicinam adprobare dubitant, omne genus cautionis adhibeant, conſcii, infauſtum remedii euentum famae Medici admodum obeſſe; vt taceam, Medicum, etiamſi decies alicuius medelae effectus voto ſatisfecerit, conſcientiae ſuae parum conſulere, quando dato conſilio fatalem euentum imputare cogitur.

§. XXI.

Concluſio.

Ergo neceſſe eſſe, vt Medicus liberae voluntati cuiuslibet hominis totum inoculationis negotium committat, nec ſua perſuaſione ad ſubeundam hancce operationem aliquem commoueat, merito arbitramur.

* * *